



**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Articvlvs XV. Vtrum scientia Dei sit variabilis. artic. 15.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

transgredienda præcepta, sed quia Deo repugnat id permittere, cum infinitaque Verbi diuinibonitate peccare pugnat, etiam per naturam assumptam, atque adeò Deum id permettere: quare ad diuinam prouidentiam pertinebat, ita res disponere, vt seruata in Christo libertate quæ ad meritum & fines explicatos necessaria erat, omnino non peccaret, quod & factum est. Inde etiam in sensu composito, iuxta ea quæ in responsive ad præcedens argumentum dicta sunt, non poterat Christus peccare, quoniam erat supremus confirmatorum in gratia, & bono per longè excellentiora dona & subsidia, quæm sanctissima ipsius materiæ sensu autem composito contradictionem implicat, confirmatum in gratia & bono peccare, licet non in sensu diuiso, ac simpliciter, quoniam si peccaturus esset ut nihil impedientibus donis potest, neque Deus præscribet eum cum eis donis pro sua libertate non peccaturum, neque proinde rationem haberet confirmati in gratia & bono, ut in responsive ad præcedens argumentum explicatum est. Si verò Christus spectetur quatenus erat viator, & gloria animæ ad fines explicatos suspenderebatur, ne libertatem auferret à Christo ad transgredienda præcepta, sicut eam auferret à ceteris beatis, qui simul non sunt viatores, & spectetur quatenus maxima cum difficultate, ac trifitia mortem subibat, & laboriosa, ac difficilia alia opera in salutem generis humani exercebat, vt probant illud Lucas 12. cap. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vñ que dñm perficiatur. Et illud Math. 26. Cœpit contristari & mox fuisse: (Marcus ait, Cœpit paure & tædere) & ait illis, Trifitis est anima mea usque ad mortem, sustinet hic & vigilate mecum. Et procedit in faciem suam orans & dicens, Pater mi si posibile est, transférat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, tantaque fuit agonia eius & trifitia, ut factus fuerit sacerdos eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram, vt Lucas ait cap. 22. Proabant item illud ad Hebre. 4. Non enim habemus ponitiscem, qui non possit compati infirmatis nostris, tentatum per omnia pro similitudine (id est, ac si esset unus ex nobis) absque peccato, & illud Math. 27. Deus natus, Deus natus, ut quid dereliquisti me: si, inquam, hoc modo Christus spectetur, fanè, nihil impedientibus capitibus aliis, quæ commemorata sunt, libertatem re ipsa habebat ad non faciendum ea, quæ facere ex præcepto tenebatur, certus tamen quod, repugnante etiam validissimè ipsius natura, ea omnia planissimè ac perfectissimè pro sua libertate esset impleretur. Suffulque ad id potentissimis donis, ac præsidii. Quod sit, vt mors Christi, non spontanea, sed & liberrima fuerit libertate contradictionis, aut etiam contrarietas, similius faterit illi præcepta, neque unum cū altero pugnet. Vtrumque autem docuit Christus Ioh. 10. dicens, Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepit à Patre meo. Fit etiam, vt laboriosissima, ac difficillima fuerit, nature Christi eam quam maximè exhorfescere, vt ex testimoniosis citatis constat, atque ex illo ad Romanos 15. Etenim Christus non placuit, sed sicut scriptum est, improperia improperantium tibi occiderunt super me, & nihilominus propter donas subvidia, quibus Christus fulciebatur, incredibilèmque caritatis magnitudinem ac feruorem qua Deum & proximos prosequebatur, fuerit simul promptissima, iuxta illud Math. 26. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, atque illud Psal. 18. Exultauit ut gigas ad currēdā viam, laborum scilicet passionis, ac mortis, quæ eam finivit.

Mors Christi  
non solum  
spontanea,  
sed etiā li-  
bera ac præ-  
cepta illi  
fuit.

A Fit denique, vt Christi mors, ceteraque ipsius opera omni ex parte fuerint perfectissima & consummatissima, qualia tum in nostrum commodum & exemplum, tum etiam in summam ipsius laudem & honorem, tales ac tantum decebant redemptorem.

B Ad argumentum ergo in forma negandum est Christi actus, etiam eum, quo Patris impletuit præceptum de genere humano morte sua redimende, per auxilium ita ex se efficax fuisse à Deo præfinitos, quasi in præsentia eius auxiliū integrum non fuerit Christo illos non elicere, nihil tali auxilio impeditere: id enim esset libertatem auferre à Christo in momento temporis, quo illos eliciebat, & subinde meritum. Ad probationem verò iam explicatum est, non quidem ex capite efficacie auxiliū, sed ex duobus aliis capitibus in sensu composito non potuisse Christum peccare, nec subinde nō elicere eos actus, idque libertatem in sensu diuiso, ac simpliciter non tollere à Christo, vt eos actus posset non elicere in eo ipso instanti, in quo eos elicit. Reliqua autem, quæ in eo arguento subiunguntur, satis ex dictis constat non probare, concedendas esse Dei præfinitiones per auxilium ex se efficacem: quoniam tale auxilium simpliciter tollit libertatem ab arbitrio eius, cui impenderetur, in instanti in quo eliceret actum: neque sensu diuiso qualis à constituentibus eiusmodi præfinitiones intelligitur, relinquit libertatem in eo arbitrio, quod auxilio ex se efficacem iuaretur, sed solum ponit libertatem in Deo ad auxilium illud concedendum aut non concedendum, atque adeò ad efficiendum ut arbitrium elicit, aut non elicit talern actum, vt suprà explicatum fuit: non sic autem habet sensus diuisorum, qui distinguitur contra sensum compositum, in quo Christus ex illis aliis duabus capitibus non poterat peccare, neque desinere elicere actum, ad quem ex præcepto tenebatur, vt à nobis explicatum est.

#### ARTICVLVS XIV.

Virum Deus cognoscat enunciabilia.



ONCLVSI affirmat, & est certa, vt constat ex illo psalmi 93. Dominus fecit cogitationes hominum, atque adeò enunciations, quas cogitando efformant. Nomine namque enunciabilium, enunciations intelligit hoc loco D. Thomas. Non tamen cognoscit eas Deus componendo, aut diuidendo, sed simplicissimo intuitu veritatem, aut falsitatem cuiusque earum contundo, & penetrando.

#### ARTICVLVS XV.

Virum scientia Dei sit variabilis.



EFFICVLTAS huius questionis non est circa scientiam Dei naturalem, de qua art. 13. disp. 14. & 16. dictum est. Neque item de illa media inter scientiam liberam, & merè naturalem, de qua disp. 17. & 18. dictum est. Vtrique enim antecedit actum liberum voluntatis diuinæ, atque in Dei potestate neque est, neque ex aeternitate fuit, aliud per eiusmodi scientiam scire, aut plura, vel pauciora, quam scierit, vt ex dictis eisdem in locis constat. Difficultas ergo solum est, circa scientiam liberam contingentium futurorum, quæ determinationem liberam voluntatis,

ris diuinæ consequitur. Et quidem si de complexio-  
nibus contingentibus, tam potius quam negatiis,  
sit sermo illud obiter adnotauerim. Quāuis ex æter-  
nitate fuerit in potestate Dei scire, quædam potius,  
quam alias, futuras esse veras, non tamen potuisse  
scire plures futuras esse veras, aut futuras esse falsas,  
quam re ipsa scierit. Ratio est, quoniam quorū  
complexiones cognoscet futuras esse veras, toti-  
dem eisdem contradicentes necesse erat cognoscere  
futuras esse falsas: & è contrario, quorū cognos-  
ceret futuras esse falsas, totidem contradicentes ne-  
cessē erat cognoscere futuras esse veras: quare cū  
nulla sit complexio contingens, vel comparatione  
potentia diuinæ, vel comparatione quarumcumque  
causarum secundarum, quæ à Dō posse emanarent,  
cui non contradicat complexio etiam contingens,  
consequens est, ut semper dimidiat partem com-  
plexionum omnium contingentium agnouerit fu-  
turam veram, & alteram dimidiat futuram falsam.  
Quod si solum sit sermo de complexionibus con-  
tingentibus positivis, tunc sicut ex æternitate potuit  
statuere creare plures vel pauciores res, ita potuit  
præficere plures vel pauciores complexiones con-  
tingentes esse futuras.

*par affi-  
matis quaf.  
ficiatur.  
Vt.*

His constitutis, quod in Dei scientiam cadere  
possit variatio suaderi potest, primò. Quoniam, ante-  
quam Christus naceretur, sciebat Deus Christum  
nasciturum: modò autem iam id non scit, alijs sit  
& falsum: ergo Scientia Dī variata est.

Secundò, nullum absurdum sequitur, si Deus de  
novo velit esse complexionem aliquam conting-  
tem, quam antea non volebat, aut non velit, quam  
antea volebat, & consequenter, si sciat futuram esse,  
quā antea non sciebat, aut nesciat, quam antea scie-  
bat: ergo Scientia Dei variari potest. Consequientia  
manifesta est: antecedens vero probatur. Quoniam si  
aliquid esset absurdum, maximè quia sequeretur

Deum mutari, quod fidei, naturæque diuina repu-  
gnat, id vero minime sequi probabitur facile, si ponam  
ut rationem, qua Deus vult creaturam aliquam  
esse, solum addere, supra nudam rationem Dei, re-  
spectum rationis ad talēm creaturam. Si namque ali-  
quid recte adderet, vtique, si Deus ex æternitate nul-  
lam creaturā volunti creare, vt potuit, caruisset re,  
aut ratione formalis reali, quā modò habet, in dō tot  
rationibus realibus, quorū sunt creaturae, quas noluit  
creare, velle autem potuit, quibuscum comparabitur  
tamquam potentem cum actibus realibus, per quas  
actuari ac informari potuit, que omnia pugnant  
aperte cum natura diuina. Quare omnino affirmantur  
negandum est, neque rationem, neque scientiam, quam  
Deus de creatura aliqua habeat, aliquid addere supra  
rationem & scientiam, qua se ipsum esse vult &  
cognoscit, prater respectum rationis cognoscitatis  
ad cognitum, & volentis ad voluntum. Hoc postea often-  
do non sequi illud absurdum de quo agebamus, in  
hunc modum. Ex eo, quod Deus de nouo velit, &  
sciat complexionem, quam antea nec volebat, nec scie-  
bat, vel nec velit, nec sciat, quam antea volebat, & scie-  
bat, solum sequitur aduenire ei, aut ab eis scire ab eo  
respectum rationis: sed ex eo quod adueniat Deo res-  
pectus rationis ad aliquam creaturam, aut ab eo re-  
cedat, non sequitur Deum mutari: tum quia additionis  
respectus rationis, in dō etiam realis, non sufficit ad  
mutationem: albedini namque praæexistenti, sine villa  
ipsius mutatione, aduenit similitudo comparatione  
albedinis, quæ de nouo producitur: tum etiam, quia  
Deum ex tempore consequuntur respectus dominij,  
& causæ comparatione creaturarum absque villa ip-  
sius Dei mutatione: ergo ex eo quod Deus velit, &

sciat complexionem, quam antea nec volebat, nec  
sciebat, vel neque velit, neque sciat quam antea vo-  
lebat & sciebat, Deum mutari non concluditur.

*Dicitur intelligendo nō for-  
mat enunci-  
tiones, nec  
plura uno  
te pote sciri,  
quā amatio.*

Pro solutione primi argumenti sciendum est,  
Deum nullam omnino mente sua formare enuncia-  
tionem, sed ea, quæ nos variis enunciationibus con-  
cipimus, ac significamus simplicissimo intuitu ab-  
que villa comparatione & divisione intueri. Simplicissimo enim intuitu vider nunc, videlicet ex æter-  
nitate natuitatem Christi habere rationem præsen-  
tis, comparatione temporis in quo fuit, futuræ com-  
paratione totius temporis antecedentis, & præterita  
comparatione sequentis, enunciationemque hanc,  
Christus nascitur, esse falsam, si ante, vel post tempus  
natuitatis proferretur, esse autem veram pro tem-  
pore ipso natuitatis: Idemque intuitus diuinus eodem modo se habens perseverabit in æternum. Cùm  
vero hæc eadem non solum de rebus per enuncia-  
tiones significari, sed etiam de enunciationibus ipsis  
doceat D. Thomas q.2. de veritate art. 13. in respon-  
sione ad 7. nescio cur hoc loco in responce al-  
terius asseruerit, concedendum est, *Deum non ci-  
re modo, nequid antea sciuīt, sive enunciabilibus, hoc  
est, de enunciationibus ipsis, sit sermo: quem sequuntur,*  
Caecutanus hoc loco, & quidam alii. Etenim sicut  
Deus simplicissimo intuitu semper eodem modo  
conficit mutations omnes contrarias, quæ in re-  
bus ipsis comparatione diversorum temporum sicut  
ita eo ipso intuitu variationem enunciationum, trans-  
ficiuntur earum à veritate in falsitatem, & à falsitate  
in veritatem comparatione diversorum temporum  
semper eodem modo intuetur. Quare quamvis forte  
D. Thomas idem hoc loco voluerit, modus tamen  
ille loquendi, qui pias aures offendere videtur, ca-  
uendus erit, affirmandūque constanter est, Deum  
semper eodem modo scire quamcumque enuncia-  
tionem semel sciuīt.

*Ad primum  
argum.*

Ad primum ergo argumentum, si sensus maiori-  
ris sit, ante natum Christum ita Deum sciuisse Chri-  
stum nasciturum, quasi haberit iudicium comple-  
xum, quod Christus nascetur, neganda est: neque  
enim eo modo iudicat Deus veritates rerum, vt di-  
ctum est. Si vero sit sensus, ita sciuisse Christum na-  
sciturum, quod simplici illo intuitu conspiciebat, ac  
iudicabat natuitatem Christi futuram comparatio-  
ne temporis in quo nondum erat natus, conceden-  
da erit, sed heganda minor: illud enim idem eodem  
modo nunc intuetur ac iudicat: attamen & tunc, &  
nunc intuetur tam natuitatē, quam tempus, in quo  
fuit, esse transacta comparatione temporis præsentis.

Ad secundum negandum est antecedens. Ad  
probationem dicendum, argumentum concludero  
quidem, non sequi dari mutationem, non tamen non  
dari vicissitudinis obumbrationem, quæ non fecit  
fidei, naturæque diuina repugnat, quam mutatio  
iuxta illud Iacobī 1. *Apud quoniam non est transmutatio,  
neque vicissitudinis obumbratio.*

Obiciens nihilominus: Ad vicissitudinis obum-  
brationem non facit aduenire Deo respectum rationis:  
quippe cū ex tempore habuerit respectus  
rationis dominij & causæ, nec proinde fuerit in eo  
villa vicissitudinis obumbratio: ergo neque hoc ab-  
surdum inde sequetur. Ad hoc tamen argumentum  
dicendum est, inter respectus rationis, qui Deo con-  
uenient, quodam esse quorum ratio fundandi est  
actio Dei ad extra, que sine aliqua variatione, aut vi-  
cissitudinis obumbratione in Deo, emanat ab eo in  
creaturs, facta solum mutatione in creaturis ipsis,  
eiusmodi sunt, respectus dominij, causæ, vnitatis, & li-  
mites, qui proinde conuenire possunt. Deo ex tem-  
pore

*qui respe-  
ctus rationis  
posset adue-  
nire Deo ex  
tempore, &  
qui non pos-  
sit.*

pote sine aliqua ipsius mutatione, aut vicissitudinis obumbratione. Alios verò esse, quorum ratio fundandi est operatio Dei ad intra, nempe actus volendi, & sciendi, qui sunt formaliter in ipso Deo, cuiusmodi sunt respectus, scientia ad rem scitam, & voluntas ad rem voluntam, de quibus loquimur. Quia ergo eiusmodi respectus aduenire non possunt ex novo sine variatione aliqua, aut vicissitudinis obumbratione ipsi sunt actibus volendi, & sciendi, à quibus proficiuntur, fit, ut non sit per ratio inter respectus prioris ac posterioris generis, ut sicut illi, ita etiam hi aduenire possint Deo sine vicissitudinis obumbratione. Quare ad propositum argumentum negandum est antecedens, de respectibus, quorum ratio fundandi est operatio Dei ad intra, concedendum verò de iis, quorum ratio fundandi est operatio Dei ad extra, & neganda consequentia.

*Alia obie-*  
*tio:*

*Reffonsio:*

Urgebis rursus. Actus voluntatis, ac scientia diuina tales potuerunt esse ex aeternitate, quales nunc essent, si Deus aliquid inciperet velle & scire de nouo: quantoquidem illud idem potuerit velle & scire ex aeternitate: ergo sicut ex aeternitate potuerunt esse cum respectibus volentis, & scientis ad tale obiectum, quibus carent modo: ita poterunt modo incipere esse cum eidem respectibus. Neganda tamen est consequentia: quoniam id esset ex aeternitate sine via vicissitudinis obumbratione, eo quod nullus cerneretur transitus ex non volitione, & ex non scientia eius obiecti ad volitionem, & scientiam eiudem obiecti in tempore autem, ut nulla ratione esse posset sine eiusmodi transitu, ita neque esse posset sine vicissitudinis obumbratione. Quid autem sit in actu volitionis, aut scientia diuina, ratione cuius fundent eiusmodi respectus rationis ad hoc volitum, & hoc sicutum, libenter at aliis dicere vellent. Forte id de numero eorum est, que ab humana mente in hac vita comprehendendi non possunt, in patriatamen perfectè videbuntur.

### ARTICVLVS XVI.

*Vrum Deus de rebus habeat scientiam practicam an speculativam.*

**O**NCLVSIUS est. Deus de se ipso habet solum scientiam speculativam: de aliis vero rebus partim speculativam, partim practicam. Que omnia ex iis qua diximus q. i. art. 4. notissima sunt.

### QVÆSTIO XV.

De ideis.

**V**ONIAM diuina id est rationes obiectivas sunt, quibus ars scientiæ Dei practica, res creatas molitur, atque efficit, id est cum questione precedente de scientia Dei hanc i. de ideis diuinis coniungit.

### ARTICVLVS I.

*Quid idearum nomine intelligatur, & virum concedenda sint.*

### DISPUTATIO I.

**D**E A, ut Ludovicus Viues in caput 28.7. lib. de Ciuitate Dei recte ait, ab speculando dicuntur: quoniam, qui aliquid est acturus, idem, exemplarum in specie solet, quod sibi imitandum propor-

A nit. Et enim exemplar, quod pictor depingendo innaturatur, idea pictoris dicitur. Contentit verbum Gracum, id est, quod idem atque inspicio, intelligo, vel cognosco, significat.

De ideis rerum naturalium, licet Eusebius lib. 11. *Idearū quā de Præparatione Euangelica, cap. 1. commemoret prim. autor.* Socratem primum dicere fuisse agressum: quia tamen ille nihil ea de re statuit, ad alia studia animum appulit, nullumque de ideis monumentum reliquit. ab Augustino lib. 8. quæstionum, q. 46. ab Aristotele, Cicerone, & aliis, Plato primum idearum autor perhibetur. Non quidem, ut Augustinus ex loco ait, quod ante Platonem res ipsas, quas Plato ideas appellauit, alij philosophi non cognoverint, sed quod sub eo nomine de eis non differuerint.

*Quid Plato de ideis senserit, tam graues autores sunt in veram partem, ut rem hanc minime definire audirent. Augustinus q. 46. citata 7. de Ciuitate Dei cap. 28. & alibi saepe. Seneca epistola 66. & multi alij, constanter affirmant, Platonem nomine idearum intellectissime rationes rerum præexistentes in Deo, idemque cum ipso Deo, eodem modo quo a principiis Theologis in Deo constitutas sunt. Aristot. verò cùm alibi, tum 1. Metaph. Platonis tribuit, ideas esse species quasdam vniuersales earum rerum, que sub sensu cadunt, à materia quidem separatas, at quarum participatione singularia omnia, que sub sensu cadunt, considerant. Creditumque est difficile, Aristotelis in ea ipsa ciuitate, in qua Plato philosophiam docuerat, vniuentib[us]q[ue] Platonis auditoribus, id Platonis impōnere fuisse ansum. Cyrillus etiam sub finem lib. 2. aduersus Julianum, Platonis sententia de ideis recitit, approbatque Aristotelis impugnationes.*

*Præterea Iustinus Martyr in oratione paranaatica ad gentes affirmit, Platonem ex libro Moysis male intellectis posuisse ideas immateriales & inuisibilis à Deo conditas, quae principium essent rerum visibilium, ut cælum inuisibile à Deo prius conditum, & terram inuisibilem, quibus postea produixerit cælum & terram, que oculis conspicimus. Atque de priori cælo & terra esse sermonem illis verbis: Genes[is] 1. In principio creavit Deus cælum & terram: de Posteriori vero diei, terra autem erat inanis & vacua, & stat firmamentum, &c. Affirmat insuper Iustinus, Platonem tria posuisse principia mundi huius, qui oculis conspicitur, nempe Deum, materiam primam Deo coeum, & ideas immateriales à Deo ante hunc mundum visibilem conditas. Idem innuit Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum versus finem, quo loco, referens verba Platonis decimo de legibus, ita ait:*

*Vnum quidem mundum nouit barbara philosophia, qui percipiunt intelligentia, alterum vero sensibilem: ilium quidem archetypum, hunc vero imaginem eius, qui exemplar dicitur: & ilium quidem attribuit unitati, ut qui percipiunt intelligentia: hunc vero, nempe sensibilem, scenario, coniugium enim apud Pythagoreos vocatur senarius, ut qui sit genitus numerus, & in unitate quidem constitutus est, non appetibile, & terram sanctam, & lucem que percipiunt intelligentia. In principio enonciet, fecit Deus cælum & terram: terra autem erat inuisibilis. Deinde subiungit, & dicit Deus fiat lux & facta est lux. In ortu autem mundi sensibilis cælum fabricauit solidum (quod est autem solidum, est sensibile) & terram specabilem: & lucem que videtur. An non tibi hinc videtur Plato animalium ideas relinquere in mundo qui percipiunt intelligentia. Hæc Clemens Alexandrinus. Idem ex eodem Clemente referit Eusebius lib. 11. de Præparatione Euangelica c. 12. Ex quibus omnibus nihil certi circa Platonis sententiam audeo definire.*

vt